

cuius generis sunt, quos IVSTINIANVS Imperator μέσους καὶ ὑπουργοὺς dixit ^{bb}). Sequestres quoque in hoc sensu malo occurrunt in constitutione quadam VALENTINIANI, VALENTIS et GRATIANI ^{cc}), in qua ita scriptum est: *Viduae intra XXV annum degentes, etiam si emancipationis libertate gaudent, tamen in secundas nuptias non sine patris sententia conueniant. In oppugnationem cessent itaque sequestres, atque interpretes, taciti nuncii, renunciique corrupti.* Quibus ita expositis satis patebit, quinam fuerint inhonesti illi et turpes sequestres. Ex quo factum puto, quod P. LAVINIVS verbum *sculna*, quod idem denotat ac sequester ^{dd}), retulerit inter verba fôrdida. Progredior iam ad aliam vim vtrique voci communem, qua significatur συνθηκοφύλαξ. Ita enim CYRILLVS vocem *sculna* in glossa interpretatur, sicuti PHILOXENVS in glossa eandem vim voci *sequester* tribuit ^{ee}). Est autem συνθηκοφύλαξ, qui custodit συνθήκας i. e. pacta, conuenta, seu, vt eleganter vertit CVIACIVS ^{ff}), *custos sponsionis* (gallice: *qui garde le gage*), vel custos pignoris positi, quasi apud arbitrum, ab iis, qui aliqua de re inter se sponsione contendunt

^{bb}) in Nov. 134. c. 10. in vulgari versione est: *medii ministri.* HOMB. ZV

VACH vertit: *qui interuenerunt, et dd) Vid. AVL. GELL. Noct. Attic. L. 20. ministri fuerunt.*

^{cc}) quae est *prima Codic.* Theod. *de ee) Vid. not. ad AVL. GELL. l. c. quae nuptiis* (L. 3. Tit. 7.) ad quam conf. IAC. GOTHOFREDI *Comment. Tom. I.* pag. 318. exstat quidem eadem quo- que constit. in Cod. Iust. rep. prael. occupatque locum duodeuicesimum ^{ff}) ad c. *Sequester D. de V. S.*

in Tit. *de Nuptiis*, sed ista verba ibi omissa sunt.

c. ult.

f) Vid. not. ad AVL. GELL. l. c. quae sunt in editione, quae ex ANTON. THYSII et IAC. OISELII recensione prodiit Lugd. Bat. 1666. ex quibus haec hauisi.